



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gvilielmi Becani E Societate Iesv Idyllia Et Elegiae

Becanus, Gulielmus

Antverpiae, 1655

Elegia VI. Gandavensis Vrbis, In Adventu Serenissimi Ferdinandi Gratvlatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12773

ELEGIA VI.

GANDAVENSIS VRBIS,
IN ADVENTV SERENISSIMI
FERDINANDI GRATVLATIO.

CHRONICON.

Ergo Venisti, Mihiqve expeCtata tVeri
 Ora DatVr?

Ergo venisti, mihique expectata tueri
 Promissi toties Principis ora datur?
 Dexter ades Fernande; fauet tibi terra polusque,
 Et Deus aduentu dat bona signa tuo.
 Ecce nitet puro diffusum lumine cælum,
 Cumque tuo vultu conuenit ipsa dies.
 Tuque quod in terris, hoc præstat in æthere Titan:
 Tu tenebras animis discutis, ille polo.
 Ecce tibi Paræ surgunt ad sidera moles,
 Aspicias laudes in quibus ipse tuas.
 In quibus armorum videas monumenta tuorum,
 Atque animi pariter pignora certa mei.
 Ecce tibi festis collucent compita flaminis,
 Lætitiae signis non caret vlla domus.
 Suntque mei ciues, quod, cum duxere triumphum,
 Credibile est turmas antè fuisse tuas.
 Esse suum dicunt te post mala multa leuamen,
 Extendique orant iam sua fata senes:
 Et, tua quos spatiis tangit propioribus ætas,
 Non si bi, maiores quæ subiere, timent.

F 5

Atque

90 G V I L I E L M I B E C A N I

Atque aliquis Tyrio cùm te conspexit in ostro ,
 Phœbus ut in Cynthi dicitur ire iugis ;
Qualis, ait, facies ! quām tanto Principe digna est !
 Quām placidæ speciem signaque mentis habet !
At bona mox aliis quæ sunt maiora recenset ,
 Quæ carpat nullus diminuatque dies :
Quòd tibi, cùm titulis tam sis generosus autis ,
 Non tamen est virtus nobilitate minor :
Quòd decus ipse tuis addas natalibus , & quòd
 Par animus generi est, par animoque genus .
 Nortlingæ pugnam tum narrat; iterque fuisse ,
 Quæ foret alterius gloria summa, tuum .
 Excipiunt illum plausu fremituque sequentes ,
 Quisque tuas laudes spes putat esse suas .
 Ipse tuus, tanto qui iam seſſore superbit ,
 Plausibus attonitus ſæpè resistit equus .
Tu, precor, interea totam circumſpice turbam ;
 Quaque venis, gaude vix reperire viam :
 Et placeat quòd quisque cupit tibi proximus ire ,
 Et ſtudium populi iudiciumque nota .
 Cumque ſat è vultu fuerit mens cognita, dicas :
 Cui tam ſum carus, hic mihi carus erit .
 Tum ſubeas arcem, quā nusquam forſitan eſſe
 Hospitiis poſſit dignior ylla tuis .
Carolus hīc primūm, quem nunc tenet, æthera vidit :
 Hæc domus, hæc illi terra paterna fuit .
His cœpit reptare locis, tectoque ſub illo
 Augustus tenero vagiit ore puer .
Tu quoque latus in hos, Princeps, ſuccede penates ,
 Auctorem generis & venerare tui .
Quodque illi natale ſolum eſt, tueare, veliſque
 Me partem curæ, quod facis, eſſe tuæ .

E L E -